



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Chronicon Montis-Sereni Sive Lavterbergense**

**Mader, Joachim Johann**

**Helmeſtadi, 1665**

Collectvm Ex Libello Svpernominato.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11088**

242, altius ordientes, à proavis incipiamus, deinde institutionis ejus occasionem divinitus acceptam gesta fortia institutoris, ejusque finem in eodem cœnobio, aperiemus.

### INCIPIT COLLECTVM EX LIBELLO SVPERNOMINATO.

*Emelricus* Rex Teutuniæ fratres habuit *Diermarum* Verdumensem, & *Herlibonem* Brandenburgensem, &c. *Herlibo* tres filios habuit, *Emelricum*, *Vridelonem* & *Herlibonem*, qui ex filia Regis de *VrVeghe* procreavit filios *Zventibor* & *VVolfum*. *VVolfus* Pomeranorum principatum adeptus, inde ad Regem Danorum confugit, à quo grariose susceptus, ejusdem Regis filiam accepit uxorem. Deinde fratres puellæ invidia moti persecuti sunt *VVolfum*, qui livori cedens, cum paulo post socer obiisset, reversus occidit Regis filios, regnumque, uti gener Regis, solus obtinuit. Ex uxore sua in detres genuit filios, scilicet *Ortonem*, *Hermanum*, *VVicpertum*: Balsamorum etiam regio dominio ejus cessit. *VVolfus* iste bellicosissimus defunctus est; corpus barbari more suo in templum Deorum ducentes, exequias flebiles agebant. Eo defuncto, avunculus eorum, quos *VVolfus* in Danorum pro vincia occiderat, filios ipsius de finibus suis ejecit: *Otto* in Græciam declinavit; *Hermannus* in Rusciam: *VVicpertus* autem in Balsamorum regionem, quæ ei paterna hæreditate provenerat, secessit, prælia plurima gessit. Quod cernens Dominus *Gasvvinus* Comes de *Leige*, filiam suam, nomine *Sygenam* in conjugem ei tradidit, &c. Ex ea *VVicpertus* genuit filium *VVicpertum* longe præstantiorem paternis virtutibus. Duas etiam filias ex eadem *Sigena* suscepit, quarum unam *Henricus* de *Leige* duxit, alteram *VVernerus* senior de *Veltheim*; ex qua is filios habuit *VVernerum* & *Aaelgotum*, Magdeburgensem postea Archiepiscòpum. Huic *VVerneræ*  
villæ

villæ Bigaugiensis pars cessit hæreditatis jure. *Vvicperto* mortuo immature, superstiti *Vvicperto* filio parvulo, *Dolina Sigena* nupsit *Friderico* Comiti de *Leugensfeld* / ex quo filium *Fridericum* suscepit; & filiam quoque, quam *Ruggerus* vel *Rutgerus* Comes ducens, *Rutgerum* Magdeburgensem postea Archiepiscopum, & *Fridericum* Comitem procreavit. Sed *Fridericus* genuit filiam, quæ nupsit *Ottoni* Palatino de *Vvinhsbach*, genuitque *Ottonem* Palatinum patre defuncto, & *Fridericum* Comitem.

*Hinricus* Imperator filius *Conradi* regebat tunc imperium, sub quo respublica pace fruebatur; sub quo Princeps *Vdo* Marchiam Stadensem regebat. *VVycbertus* ergo patre orbatus hunc accedens ab eo donec adolesceret educatus est, simulque gladio militari ab eo accinctus, urbe *Tangermunde* ab eodem *Vdone* inbeneficiatur. Crevit consilio & audacia in tantum, ut formidabilis etiam notis efficere-  
tur. Ideoque *Vdo* eum dimittens, municipium quod habuit juxta *Elstram* fluvium nomine *Groÿsta* cum omnibus at-  
tinentiis eidem tradidit procommutatione regionis *Balsamo-  
rum*. Pro *Tangermunda* vero ei alia beneficia ad *Nortmachiam* ei restituit. Ille ibidem alios impugnans, ab aliis fugatur; venitque ad Ducem Bohemix *VVratisslaum* persuasit illi, ut regium nomen acquirere satageret ab Imperatore: illicque consensit eidem.

*Hinricus* tunc rex, superioris *Henrici* filius, imperabat, qui *Saxones* impugnabat. Qui cum in Italiam ire dispo-  
neret, *VVicpertus* ipsum accedens, suum illi cum lx. militibus promisit servitium. Quod ille acceptans, subjunxit *VVic-  
pertus* suum consilium, persuadens ut Ducem *VVratisslaum* in Regem exaltaret, at ille quatuor millia talentorum *gaZis* regis appenderet: insuper & filium suum cum trecentis armatis cum ipso in Italiam destinaret. Acquievit Cæsar, ac *VVicpertus* effecit, quod promiserat. Jubente ergo Cæ-

fare, per Moguntinum Archiepiscopum ac præfules *VVir-*  
*ziburgensem* & *Constantiensem*, *VVratisslaus* coronatur in  
 Regem, qui aurum persolvit, filiumque suum *BosVVinum*  
 cum apparatu bellico Cæsari destinavit, commendatum  
 fidei *VVicperti*, ut cum Cæsare pergeret in Italiam; de qua  
 expeditione alibi require. Venit enim *Mediolanum*, obsedi-  
 dit inde civitates per quatuor annos & cepit: Obsedit *Ro-*  
*mam* inde triennio. *VVicpertus* ad omnia pericula primus Re-  
 gem à morte liberat; Romam tandem cepit. Papa fugiente  
 cum *Petro Leonis*. Papa captivatur cum avunculo suo *Petro*,  
 &c. custodia deputatur *VVicperti*, effuso sanguine plurimo  
 intra Dei templum, fluente instar *Tibris*. Tandem post mul-  
 tas controversias Papa reconciliatur Cæsari, templum Do-  
 mini reconsecratur, Rex imperiali benedictione sublimatur:  
 nova lux oritur: ex militibus *VVicperti* xi. veneno perierunt,  
 dolo à militibus Romanis confecto. Revolutis septem  
 annis hujus expeditionis ac belli ex sexaginta *VVicperti* mili-  
 tibus tantum quinque supererant; & ex Bohemis trecentis  
 solum ix. adeo in præceptis more barbarico ad omnia pericula  
 ruentibus. Affuerunt Cæsari *Mogūtinus* & *Coloniensis*, *Hal-*  
*berstadenfis* & *Monasteriensis* Episcopi; *Fuldensis* & *Hersfel-*  
*denfis* Abbates, aliq; Principes plurimi, cum Boëmico ado-  
 lescente. Cæsar audaciam & fortitudinem *VVicperti* male ex-  
 periri tentans, contra eum leonem improvise adduci fecit:  
 quem pugno fugavit: Cæsarem dire corripuit; ut erat irato  
 animo; abire voluit; vix placari potuit. Tandem pacifice,  
 multis ei promissis à Cæsare & Episcopis, cum *Bosvino* ab-  
 cessit, acceptis etiam donis regalibus pro *Bosvino* ad suum  
 patrem honorifice remittendo. *VVicpertus* autem nil tunc  
 se petere aut accipere velle respondit Cæsari: tempore au-  
 tem congruo postulare.

*GosVVinus* Bohemicus literis imperialibus patri com-  
 menda,

mendatus, ac inuneribus, cum *Vvicperio* ad Bohemiam revertitur, occurrentibus sibi Principibus & populo cum gaudio. Commendavit adolescens patri suo *Vvicpertum*, quanta illis fecisset bona, &c. Rex plurima preciosa xenia *Vvicperio* obtulit; nil horum, nec paruum quid recepit. Iterum plurima: tertio plurima. Ille ut prius non recepit præter quædam quæ ibi exprimuntur. Persuadet filius patri, cum nil recipere vellet, ut filiam suam *Judith* nomine elegantem illi in conjugem traderet, quod illi plus prodesse posset, quam si ipsam *Rustenorum* vel *Vngarorum* Regi sociaret. Assensit hilaris, illamque ornatam regis induviis *Vvicperio* tradidit in conjugem. Quam ille libenter suscipiens, cuncta xenia illius fidei commendavit. Coniugi susceptæ *Judithæ* *Vvicpertus* urbem construxit **Schwörzen** nomine, quæ tutum ei foret præsidium. Impatiens vero pacis, infestabat & infestabatur. *Hinricum* etiam Marchionem *Misnensem*, aliosque, offendit. Item quendam *Hagenonem* fugientem in Basilicam S. Jacobi, cum egredi nollet, prohdolor! cum Basilica concremat. Hæc fuit causa, quod post modum compunctus in honorem S. Jacobi fundat cœnobium **Pegaw**:

Anno Domini **MLXXVII**: bellum fuit inter *Hinricum* & *Rudolfum*, ubi Saxones terga vertunt. Ibi *Vvratisslaus* Dux & Rex Bohemiæ regalem lanceam adeptus *Rudolfi*: qui exinde permissione Imperatorum semper quemvis illius gentis ducatu insignem, in omni festiva processione præcedit. Huic bello interfuit *Vvicpertus* bellicus.

Anno **MXXC**. Rex Boëmiæ consilio *Vvicperti* & ducatu *Saxones* invasit, non tamen impunitus. Imperator ab Italia rediens, apud *Ratisbonam* curiam tenet: iterum Saxones invadunt, ubi *Rudolfus* Saxonum Rex vulneratus fuit. *Vvicperius* reduxit Cæsarem in Boëmiam, &c. *Ecbertus* Marchio

Brünsvicensis, æmulus *VVicperr* fuit: qui tandem in molendino suo post bella inter ipsos turpiter occubuit.

*VVicbertus* ex sua conjugē suscepit filios, *VVicpertum* scilicet, & *Hinricum*, & filiam *Bertam*. Formidabilis efficiebatur cunctis, etiam Cæsari, qui oblitus beneficiorum ejus à statu suo tantæ felicitatis ipsum conabatur evertere. At *VVicpertus* tandem ad cor rediens, memoralorum quæ fecerat, maxime *Rome*, & exustione *S. Jacobi* in *Zila* compunctus dolore, accessit *Hartvugum* & *VVernerum* Magdeburgenses Archiepiscopos pro salubri consilio salutis animæ suæ. Mititur ab eis *Romam* ad limina Apostolorum, paucis secum assumtis; ubi humi prostratus, limina Apostolorum, quæ olim sanguine fœdaverat, nunc lacrymis rigavit. Ad pedes Apostolici præsentatus, causam itineris sui & peccatorum suorum enormitatem ex ordine confitetur cum summa devotione. Erat tunc Patriarcha Hispanensis, vir merito vitæ etiam Papæ admirabilis, & Apostolicæ auctoritatis: ad hunc direxit Papa pœnitentem hunc *VVicpertum*: ut scilicet gravioris itineris laborē subiret. Ad quē ardenti desiderio properans, monita salutis ab ipso recepit, auditisq; causis ejus consuluit, ut Deo templū in honore *S. Jacobi*, cuius Basilicā combusserat, adificaret illucque famulantes Deo, quantos posset, congregaret. Acceptat id *VVicpertus*, inquirens, si sufficeret, pro sex fratribus fundare cœnobium. At ille Patriarcha: *qui parce seminat, parce & metet*, &c. & quia tenor disciplinæ regularis in tam paucis observari non potest; ad hos totidem adde. Acquivit, & promisit, vita comite, Deo dante, id se facturum. Patriarcha dat illi reliquias, hoc est *S. Jacobi pollicem*, & Ecclesiæ reconciliatum absolutumque in pace dimisit.

Reversus *VVicbertus* in urbem suam *Liznich* divertit, susceptu à suis cum gaudio. Consilium cum suis iniit, ubi nam in sua ditione locus cœnolio construendo aptus inveniretur

niretur. Circuiens pervenit in *Groysh*, ibi similiter à suis læte  
 Inscipitur, in castro videlicet suo; concilium quærit à suis.  
 Pervenit tandem ad locum divinitus præordinatum, ad  
 occidentalem plagam Bigaugiensis villæ: ubi cœnobium  
 fundare statuit.

Anno itaque Domini MXCII. ad opus tantum auxilium  
 à focero suo *Fratislao* rege Bohemiæ quæsit. Qui laudans  
 propositum generi tam sanctum, liberaliter septingenta ei-  
 dem ad manus talenta dedit: utque fiducialiter ageret, ad  
 honorem Dei & S. Jacobi, plurima promisit. Qui reversus  
 domum, *Hartvwigum* Magdeburgensem Archiepiscopum  
 adiit, flagitans, ut loco considerato, fundamenti & cimete-  
 riorum benedictiones daret: cum quo etiam *VVolramum Zi-*  
*zensem*, & *Albinum* Mersburgensem, Episcopos corroga-  
 vit. Qui suaserunt *VVicperio* ut proprijs humeris per duo-  
 decim angulos fundamenti, exemplo *Constantini* Cæsaris de-  
 votissimi, totidem cophinos lapidum deferret. Paruit ille  
 libens, suosque tanto accendit laboris ardore, ut non sicut  
 aliarum Ecclesiarum fundatio mercenariorum fit labore,  
 sed manu militari ac illis obsequentium instantia certatim  
 ferveret opus, ita ut infra triennium usque ad cacumen tur-  
 rium sine intermissione assurgeret: curiam sibi interim con-  
 stituens operi contiguam, ubi nunc hospitale est situm, in  
 qua Capellam *S. Nicolao* construxit.

Inquirens hinc aliquem religiosum virum prudentem,  
 qui fratribus sibi sociatis officinas constitueret, &c. cœno-  
 bium *Schwarze* dictum adiens, dominum *Beronem* ali-  
 osque tres fratres tanti laboris consortes impetravit, cui sui  
 cœnobii curam commendavit. Qui cum simplex esset, fra-  
 trum numerum non augmentat.

Anno Domini MXCIII. *VVicperius* denuo misit ad foc-  
 rum suum *Fratislauum* pro subsidio: qui iterum ei trecenta  
 talenta

talenta in supplementum operis inchoati transmisit. Obiit eodem anno *Fratislaus* Rex Bohemiæ, quinque relinquens filios, *Borovi*, qui post patrem ducatum ad tempus tenuit: *Vdalricum*, qui postea Lothario regnante præfuit eidem.

Anno Domini mxcvi. constructis ædificiis per Abbatem *Beronem*, perfectisque, dedicatum est cœnobium Bigaugiense per Dominum *Hartvwigum* Magdeburgensem Archiepiscopum, cooperantibus eidem *Aluino* Mersenburgensi & *Valramo* Ziciensi, Episcopis, *Ezelinoque* Havelbergensi: in præsentia domini *Vvicerti*, fundatoris, filiorumque ejus *Vvicerti* & *Himrici*. *Iuditta* uxor ejus Comitissa, filia regis Bohemiæ *Fratislai* coronata adornata processit eodem die, obtulit pretiosa plurima. Sicque vii. Kal. Augusti dedicatum est monasterium in honorem *S. Trinitatis*, *S. Mariæ Virginis*, *Sanctique Iacobi Apostoli*, dotatumque magnifice. Singulis quinque diebus tempore dedicationis domina Comitissa in aliis vestibus & aliis processit.

Anno Domini mc. Dominus *Bero* Abbas primus obiit in Domino, sepultus vii. Kal. Jan. Vigebat eo tempore in Saxonia apud *Corbejam* Abbatiam regalem, regularis disciplinae districtio, quæ secundum *Hirzaugensem* institutionem jam laudabiliter propagari cœperat. Præfuit tunc *Corbejæ* Abbas *Marquardus*. Hunc *Vvicertus* adiens, petijt ab eo virum, qui cœptam ibi religionem promoveret amplius. Datur illi Dominus *Vvundolfus* monachus, ad tantum opus idoneus, vir religiosus doctus & strenuus, fidelis & prudens: junguntur eidem & alii fratres in adiutorium. Dantur & libri pro divino officio, & reliquiæ de *S. Vito*, quæ omnia gratanter *Vvicertus* suscipiens, venit cum Abbate *Vvundolfo* ad *Bigaugiam*: fecitque ipsum pastorali benedictione per *Moguntinum* Archiepiscopum, *Rotardum* nomine, sublimari, adductum tecum in *Erpsurt*. &c. Inde reversus *Pegau* iulce-



fulcepit curam, emendavit omnia, fratrum adauxit numerum, usque ad quadraginta, gratia Dei adjutus per omnia.

Anno Domini M C V. Comes *Vvicpertus* monasterium *Luczke* fundavit in dicecesi Mersburgensi de consensu Episcopi *Albuni*, & capituli Ecclesie ejus, contiguum monasterii Bigaugiensi, & subjectum eidem. Quem locum esse voluit parochiam omnium circumjacentium villarum, pro sex saltem fratribus, quibus cella fieret, &c.

Anno Domini M C V I. *Vvicpertus* de consilio Abbatis *VVindolfs* misit ad Romam, supplicans, ut locus *Pegaru* per Papam eximeretur a potestate cujuslibet alterius, &c. obtinuitque sigilli robore privilegium sequens: *Pascalis Episcopus servus servorum Dei, fidelibus per Saxoniam salutem & Apostolicam benedictionem. Desiderium &c. Vvicpertus siquidem, Saxonica gentis illustris Comes in Merseburgensi parochia, in loco pradii sui, quod Bigavvia dicitur, monasterium &c. quod obtulit S. Petro, &c. & Apostolica sedis iuri in perpetuum mancipavit: Advocatiam tamen monasterii ipse habiturus excepit.*

Anno Domini M C V I I. *Hinricus* Cæsar obiit, & filius ejus *Hinricus*, Rex quintus, successit. Qui Moguntie Principes convocans, etiam *Vvicpertus* cum filiis *Vvicperto* & *Hinrico* affuit: sed ibidem nuntium triste de conjugis sue *Inditta* obitu suscepit. Qui cito remeandi obtenta licentia dilectam suam in Bigaugiensi cœnobio honorifice sepeliri fecit, Episcopis tribus presentibus, Bohemie, & aliis Principibus & nobilibus.

Anno Domini M C X. Posthæc Dominus Comes *Vvicpertus* aliam duxit uxorem, relictam scilicet *Chunonis* Principis de *Bichilinge*, nomine *Knnighundem*. Ejus etiam filiam ejusdem nominis filio suo *Vvicperto* desponsat. Celebrarunt ergo nuptias simul binas. Habebat hæc Domina Abbatiam

in confinio Saxoniae & Thuringiae *Oldesleibe* dictam; eus res sub Abbate *Luperte* perierant. Hanc suscepit rogatu *VVicperti* Abbas *VVyndolfus* reformandam, sed pertæsus, impetravit à *Corbeia* Dominum *Hildelinum* in Abbatem: qui cum eodum fuerat missus Prior ad *Bigaugiam*. Hic pro tempore præfuit ibidem utiliter, & obiit in Hierosolymitana professione sub *Conrado* Cæsare, in comitatu *Bernardi* Comitis de *Plozeka*. Nobilis quidam *Vizo de VVizenborch*, consanguineus *VVicberti*, moriens ipsum prædiorum suorum statuit heredem. Is congregationem Sanctimonialium in eodem castello instituerat. Quo defuncto, *VVicpertus* venerabilem matrem suam Dominam *Sigenam*, jam secundo viduatam, ibi pausare usque ad finem vitæ in sancta conversatione concessit. Qua mortua, ibidemque sepulta, cum religiositas ibidem omnis deperisset; *VVicpertus* consilio *Otonis* Episcopi *Balbergensis* in vicino ejusdem castelli, juxta fluvium *Vnstrod*, monasterium monachorum instituit, in loco qui *Reyndorp* dicitur; cui Abbas *VVyndolfus* fratrem *Ludigerum de Corbeia* revocatum in *Bigaugiam* Abbatem instituit.

Anno Domini *mcx*, *Hinricus* junior Cæsar filium *Fraislai*, *Bosvvi* nomine, regno privavit, & quendam *Soverpoldum* instituit. De quo *VVicpertus* dolens, regem rogavit restituendo *Bosvvi*, nec obtinere potuit. Anno sequenti Cæsar in Bohemiam exercitum ducens, *VVicpertum* etiam advocavit: qui sumtis duobus millibus profectus est. Cum ergo pro *Bosvvi* Cæsarem haberet, infensum, *Zvetepol* cum Cæsare clam de *VVicperto* tractabat; quod *VVicpertum* non latuit. Cumque nocturno tempore ab hujusmodi consiliis *Zvetepol* à rege ante *VVicperti* tentoria rediendo transiret, *VVicpertus* iussit uni militum suorum, ut sic clam pertransentem *Zvetepol* cuspide transfigeret. Et fecit sic, fugitq;  
ad

ad tentorium *Vvicperti*. Exorto clamore mortuo duce Bohemi fugiunt, & Cæsarem in grandi timore relinquunt. Rogavit igitur *Vvicpertum*; ut se à Polonia deduceret. Pollicetur id *Vvicpertus*, si Cæsar *Bosvvi* in paternum principatum restitueret. Annuvit Cæsar necessitate constrictus, imperavitque *Vvicperio* reducere *Bosvvi* in sedem paternam. Rex *Hinricus* festinus *Vvicperio* præduce Polonia decessit: sed *Vvicpertus* junior patre iubente interim *Bosvvi* Pragam in sedem paterni principatus reduxit. Rex cum in Teuroniâ usque *Nurenberch* venisset, comperto quod *Vvicpertus* junior *Bosvvi* redux esset, & adhuc in Bohemia moraretur, favens *Ladislao* fratri *Zwvetepola*, quem *Vvicperio* inscio pro fratre dolose in principatum provexerat, eodem instigante Bohemiam ingreditur, insequiturque *Vvicpertum* juniorem & *Bosvvi* doli inscios, ambosque captivos abductos in *Hamersteyn* custodiae mancipavit. *Vvicpertus* hæc audiens & dolens, aliter filium liberare non potuit, donec urbem *Lizink*, & pagos *Insen* & *Budissen*, una cum urbe *Norunge* regi tradidit: quæ omnia statim Cæsar *Hogero* Comiti de *Mansfelt*, sibi familiarissimo in beneficium concessit. *Vvicpertus* junior laxatus non multo post cum Cæsare in *Thuringiam* venit, ubi eum municipio quodam *Wfersberg* dicto inbeneficiat.

Anno Domini *MCXIII*. rex *Hinricus* manifesto jam odio *Vvicpertum* seniore insecutus, *Ladislao* auxilium sibi ferente *Groyssam* deliberavit invadere. *Vvicpertus* quoque junior *Nuenborch* urbe sperans se inbeneficiari, regi contra patrem suum fuit auxilio. *Vvicpertus* autem electissimos in urbem congregavit, cumque obsideretur, *Lodeslaus* amisit ultra quingentos suorum. Ideoque rex omittens obsidionem, post octo dies inde transit, urbe *Nuenborch* alium inbeneficiavit: sicque *Vvicpertus* ab eo deficiens, ad patrem suum

suum rediit. *Vvicpertus* regis denuo adventum præcavens, amicitiam inicit cum *Sigifrido* Comite, Palatino de *Orlamunde*, & cum *Ludovico* Comite de *Turingia*. Quorum conventionem apud *Warenstede* comperta, cum ecc, insperatus adventit; *Ludovicus* effugit, *Sigifridus* occiditur, *Vvicpertus* vulniferus captivus abducitur, & in *Litznich* custodia mancipatur. Dein in *Wirgenburch* regi præsentatur, ab omnibusque capitali sententiæ adjudicatur. Miles *Conradus*, cui decollandus traditus fuit, cum iussa moraretur perficere, expectans meliorem à Rege nuntium: suggesserunt Principes cuncti *Vvicperto* juniore, ut *Groystam* cum omnibus attinentiis pro patris liberatione regi devotus offerret. Quod cum fecisset, *Vvicperto* vitam indulgit, sed in urbe sua *Druls* per triennium servari ipsum mandavit. Quo comperto filii ejus *Vvicpertus* & *Hinricus* contra Regem ad Saxones se contulerunt, & ob hoc cum *Ludovico* Comite rei majestatis adjudicantur. Patre ergo per triennium in captivitate detento, filij silvarum latibulis; hominum destituti solatiis, se suosque tuebantur.

Anno Domini *M C X V*. *Hinricus* Rex insolens, Principes Saxonie infestabat graviter, privavitque dignitatibus suis Episcopum Halberstadensem, venerabilem *Reinhardum*, Comitem Palatinum de *Sommersteborch* / & *Fridericum* de *Ziensborch* / ac *Rodulfum* Nortmarchia potitum; substituitque pro eis alios sibi faventes. Qua injuria commoti, cum *Lothario* Duce Saxonie, cum *Vvicperto* juniore ac *Hinrico* fratre eju, & cæteris injuriatis ab eo, conglobati juxta *Cruceborch* fœdus inierunt contra Regem. Inde proficiscentes, castrum quod *Wallebet* dicitur, ad injuriam Regis ædificaverunt: ex quo *Hogerum* Comitem infestabat. *Vvicpertus* junior juxta *Guntorff* nemoris latibulo se occultens,

ex invasione adversariorum necessitati propria subveniebatur  
 Mense autem Novembri foliis deficientibus, opaca silvarum  
 illustrabantur. Misit ergo nuntium ad *Adelgotum* Archie-  
 piscopum Magdeburgensem, avunculum suum, petens, in a-  
 liquo suo municipio cum sua conjuge & paucis militibus re-  
 cipi ad hyemandum, quem bruma non sineret sub divo la-  
 titare. Cui compatiens Episcopus, ipsum cum suis ultra Al-  
 biam, in urbe quæ *Lübborch* dicitur, collocari fecit: Cu-  
 jus loci præfectus *Priborn* adhuc fere erat paganus, eo quod  
 ultra Albiam illis temporibus. Audiens hæc *Hinricus* Cæ-  
 sar, citavit *Adelgotum* Goslaræ ad curiam suam, cum quo  
*Vvicpertus* misit legatum ad rescindendum, si quid ibidem de  
 eo Archiepiscopus doli nescius avisator à quodam, quia non  
 solum deponere ipsum, sed & capere rex intenderet. Ideo-  
 que noctis tenebris clam celeriter aufugit, *Magdeborch*  
 cum suis pervenit. Cæsar mane factum audiens, graviter  
 contemptum regie majestatis tulit. Querimonia de iis coram  
 principibus habita, quorum favore illius fovebatur audacia,  
 Archiepiscopus absens deponitur, & ultio fieri de Saxoni-  
 bus reipublicæ contemptoribus illico decernitur. Aduna-  
 tur exercitus apud *Walhusen* Saxonesque ad bellum præ-  
 parantur. Venitur ad pugnam in *Welpsholt*. *Reynhardus*  
 Episcopus Halberstadenis inter missarum solemnia sermo-  
 nem fecit ad populum, eos monens divinam implorare cle-  
 mentiam. Præstolantes itaque regis adventum, ad defen-  
 sionem libertatis & patriæ se viriliter cohortabantur. Impe-  
 rator adveniens suas ordinavit acies, & primo congressu  
*Hagerus* cum suis locatus, prior omnibus à suis paululum  
 cum quodam *Ludolfo* remotus, audaciæ jactantiam jungens,  
 solus equo defiliit, & manu exertum gladium gerens in Sa-  
 xones præceps accurrit. Quem *Vvicpertus* junior, duobus

sibi sociatis *Conrado & Hermanno*, fratribus viribus valde præstantibus, nil moratus aggreditur, forti nisu cuspide in petus ejus vibrata. Qua per *Ludolfum* confestim extracta, *Hogerus VVicpertum* ense commotus impetiit, sed ictus clypeo cum protegente cassatur: statimque gladio per medium caput reverberatum *Hogerum* prostravit, & nitentem exsurgere lumbo lorice nudatum gladio transfodit. Sublato ergo clamore cunei utriusque partis consequuntur; & Saxonones pro se patriaque viriliter agentes, hostes nec spe nec timore nitentes, quasi oves tanto furore aggressi sunt, ut xxx vel xx ex uno Saxone occumberent. Tota die pugnatum est, & nox interveniens bellum diremit. Rex itaque victus, fugatus in Bavariam abiit; victores Saxones læti ad sua redierunt. De bellis istis quinque cum Saxonibus satis habetur in *Chronica Magdeburgensium Episcoporum & alibi*. Sed nusquam legi, nisi hic, quis istum occiderit *Hogerum de Mansvelt*, totius mali inventorem. Nec clare habetur ibi, quod hic sequitur de fundatione *Novi operis* prope *Hall*, quod mirum est.

Anno Domini *MCXVI*. fundatum est monasterium *Hallense* à venerabili *Adelgoso* Archiepiscopo *Magdeburgensi*, (cujus genealogia & successoris ejus *Rurgeri*, descripta est in principio hujus libelli) Cœnobium, inquam, *Hallense*, quod dicitur ad *Novum opus*. *Lodeovicus* Comes à vinculis absolvitur: *Evervinius* Comes monachus effectus est. Archiepiscopus *Maguntinus* liberatur rege coacto.

*Wicpertus junior* rogavit *Dedonem de Crozuch*, ut reciperetur saltem in atrium Ecclesiæ. Edificat sibi asylum tutum infra *XIV*. dies sibi & suis. Novem dehinc transactis hebdomadibus urbem *Dewyn* per insidias occupavit. Tantam ibi rerum diripuit abundantiam, ut milites suam exinde levarent inopiam. Inde *XXIV*. subegit municipia circum-

cumposita. Deinde obsedit *Groystam* & obtinuit auxiliante *Adelgato* & *Gertrude* Marchisa, quæ fuit mater reginæ *Rebiniæ* uxoris *Lotharii*. *Adelgorus* Magdeburgensis, cum *Reynhardo* Halberstadenſi Episcopo & *Friderico*, Comite Palatino, *Wicperto* etiam & *Ludovico*, *Nuenborch* obsidione vallavit. *Hinricus* autem quidam, dictus *cum capite*, insidias parabat vagantibus pro pabulo in circuitu. Hunc persecuti in *Arnsburch* comprehenderunt, & ad Episcopos duxerunt. Quo audito *Nuenborch* tradiderunt. Imperator coactus pro hujus redemptione relaxavit *Vvicpertum* seniore, *Ludovicum* & *Burchardum* de *Misna*. *Vvicpertus* ergo dimissus *Groystam* revertitur. Exinde *Luzinch* petit, vique recepit. Idem ab *Adelgato* Magdeburgensi Episcopo præfecturam mille clypeis & quingentis talentis præditam in beneficium suscepit. Omnibus ergo suis ei restitutis ad curiam *Vvormatiæ* indictam porrexit, & Imperatori pro suorum recuperatione grates persolvit, & ut Marchia *Luzensi* ab eo insigniretur, promissis duorum millibus talentorum exoravit & impetravit. Indeque ab Imperatore inter reliquos Principes par habetur, cappa Dalmatica pretiosa ab eodem dotatur, quam *Burcardus* Episcopus Monasteriensis Imperatori obtulerat. Sicque prosperis succedentibus *Vvicpertus* cum gaudio ad propria remeat.

Anno Domini *mcxix*, *Paschalis* Papa obiit, à quo privilegium *Bigaugiensi* cœnobio obtinuit fundator *Vvicpertus*, Marchio postmodum in *Luzitz*. *Gelasius* successor obiit *xix*. *Kalixtus* Papa Synodum apud *Remensium* urbem à *cccc*. Episcopis & Abbatibus vocavit.

Anno Domini *mcxx*. *Fulda* convocantur Principes super dissensione regni: sed Rex distulit. *Vvelpho* Dux *Bavariæ* obiit, & *Fridericus* Palatinus de *Saxonia* obiit. Antea obiit *xix*.  
*Adelgotus*. Anno

Anno Domini MCXXII. *Hinricus* apud Wormaciam per Cardinales duos à *Calixto* Papa missos Ecclesiæ reconciliatur, & suis. *Raynhardus* Episcopus Halberstadenſis obiit MCXXII. *Otto* pro eo constituitur. *Tidericus* Episcopus Zitiensſis occiditur improvise. *Richvvinus* succedit. *Ludevovicus* Comes fundator Reynsbornensſis cœnobii, factus ibidem monachus, obiit. *Hinricus* Marchio junior obiit (forte erratur ut sit *VVicpertus junior*) pro quo *Hinricus* Rex instituit *VVicpertum* Divitem, & *Hermannum* de Winborg. Sed *Albertus* & *Conradus* Comites de Saxonia, adjutorii *Lotharii* Ducis Saxonum, illis pulsſis eorum invadunt loca & dignitates.

*VVicpertus* Marchio, fundator Bigaugiensſis, Anno Domini MCXXIV. obiit XI. Kal. Junij. Hic invaluerat prædiis & beneficiis in provincia nostra, quæ *Suvorbia* dicitur, (ait autor hujus) Monarchiam quoque in *Luzix*, ac præfecturam in *Magdeborch* principalem obtinuerat. Cum enim in villa *Halle* ubi advocatiæ causas administrabat, pernoctaret, expergefactus ignem accensum pedibus nudis extinxit: semivivus inde lectum repetiit. Infirmatus ex hoc, jubens se in suam *Groyſtam* reduci, prius *Bigaugiam* divertit, tanquam asylum suum. Ad breve tempus ibi commoratus, ne fratres plus contristaret desolatos, misit ad Episcopum Magdeburgensē *Ruggerum*, filium sororis suæ, ad *Arnoldum* Mersburgensē, *Richvvinum* Czizensē, *Godeboldum* Misnensē, Episcopos; *VVyndolfum* etiam Abbatem. Quibus advenientibus, consilium eorum requisivit de salute animæ suæ. Consuluerunt illi, ut religionis habitum susciperet. Qui promptus obediens, in præsentia eorum cum deditione gladii, tam militaria omnia quam secularia abdicavit. Sequenti die *Bigaugiam* alatus, habitum suscepit, professionem fecit. Obedientiam inde servavit integram, cæteraque monastica, ut nec cibum

nec



nec potum sumeret, nec proprio filio se videndum, sine permissione Abbatis, sineret. Silentio vacabat & animæ suæ indeque obdormivit in Domino Episcopis & aliis exequias ejus peragentibus & sepulturæ tradentibus, inter uxorem & filiū in medio Ecclesiæ **Pegaw** sepelitur (*Oportet ergo VVicperum pramortuum.*) Successit ejus filius Comes *Hinricus*: sed Comites *Adelbertus* & *Conradus* Marchiam ejus invadunt, quam *Adelbertus* ad tempus tenuit. *Luthario* regante, *Hinricus* in ejus gratiam rediens, eam recepit.

Anno Domini m<sup>c</sup>xxv. Obierunt Rex *Hinricus*, Papa *Calixtus*, Episcopus *Czizensis Richovinus*, pro quo *Vdo* constituitur, cujus optima fuerunt principia. *Lotarius* Dux Saxonum anno m<sup>c</sup>xxv Rex eligitur apud Moguntiam, *Otto* quidam, conquestus apud Regem privatum se Ducatu Bohemiar: Rex vocatum ad se *Vdalricum* tunc Ducem Bohemiar, filium *Fratislai*, cum non comparuisset, bellum contra eum suscepit, in quo iste *Otto* occubuit. *Vdalricum* Rex in gratiam recepit m<sup>c</sup>xxvii in *Mersborg* Pentecostes festo, filiumque ejus de sacro fonte levavit. Rex castrum obsidet **Nürnberg** habens secum Ducem & exercitum Bohemorum. Rex inde per *Conradum* fratrem *Friderici* fugatur, inflatus ex hoc nomen sibi regium assumpsit. Ideoque *Conradus* excommunicatur à Papa *Honorio*. Sed tandem humiliavit se regi & subdidit. Anno Domini m<sup>c</sup>xxix. Halberstadenses duo Episcopi eliguntur simul. *Hinricus* de Staden Marchio obiit. *Vdo* Comes de Saxonia occiditur. Papa *Honorius* obiit. 1130. *Hinricus* Comes frater *Ludevici* obiit anno 1131. *Hermannus* de **VVincēburg** per regem custodia in **Blanckenborg** mancipatur; **VVincēburg** destruitur. Rex in Daciam profectus subdidit rebellem. Synodus apud *Leodium* sub *Innocentio* congregatur; ibi præsentē *Lotario Otto* Episcopus Halberstadensis restituitur.

Kk

Ibi

Ibi *Adelbertus* Marchio de Saxonia deponitur, & *Hinricus* filius *Vvicerti* pro eo Marchio in *Lusiz* constituitur, qui huc usque ab *Adelberto* exclusus fuerat violenter. *Godehardus* Episcopus *Hildensemensis* de terra levatur ab obitu anno Domini 1132 Rex cum *Rickinza* & exercitu mille & quingentorum pergit in *Italiam* ad reducendum illuc *Innocentium* Papam: quod & fecit: benedictionemque imperialem ab eodem in *Roma* suscepit 1133. Vide alibi.

Anno MCXXXIV. Rex in Halberstad Pentecosten celebravit. Ibi *Magnus*, filius *Nicolai* regis Danorum gratiam invenit pœnitens, & coronam regni suscepit ab Imperatore. Sed rediens, cum abusus gratia ingratus, filio patru *Erico*, cujus fratrem occiderat, bellum indiceret, obsedit eum in *Lundina* cum xx. millibus armatorum. *David* *Erici* sororis filius erumpens civitate cum ccc. armatis turbat exercitum. *Magnus* relinquitur solus in terra prostratus: quem *David* ut judam proditorem occidit. *Nicolaus*, pater *Magni*, fugit, sed perimitur dolose. &c. Imperator *Sueviam* ingreditur contra *Fridericum* & *Conradum*. *Ulma* evertitur, & tenta clade *Suevia* opprimitur, ut nunquam post taliter.

Anno MCXXXV. *Fridericus* gratiam Cæsaris impetrat. Imperator curiam apud *Mersborg*, habuit, ubi ex præcepto Dux Polonorum affuit, qui nunquam antea ad alicujus Imperatorum curiam venire voluerat, nec pœeibus nec minis. Affuit & Dux Boëmorum *Vlricus* ibi Polono Duci per *Lotarium* conciliatus. Advenerant & à *Græcia* missi Dux & Episcopus, cum legatis Ducis *Venetiæ* cōquerentes contra *Ruggerum* Comitem *Siciliæ*, eo quod *Græcis* abstulisset *Africam* paganis auxiliantibus: *Venetiæ* spoliasset: de imperio Romano totam *Apuliam* & *Calabriam* subtraxisset. &c. Affuerunt Regis *Hungariæ* nuntii obedientes &c. Curiam iterum habet Cæsar in *Mulhusen* circa Michaelis festum. Ibi

Contra-

*Conradus* Dux in gratiam suscipitur, cumque restituisset omnia, in pace dimittitur. *Hinricus* Marchio in *Lusit* est Præfectus Magdeburgensis.

Anno Domini *mcxxxvi*. Lapis magnus, ut caput hominis, juxta *Oltensleiben* cecidit de nubibus, abbatiam quæ ibidem custoditur à fratribus. Imperatore in *Quedelingborg* existente plura prodigia visa sunt in cœlo: crux rubea de cœlo descendisse in aëre pependisse & reascendere. *Lupoldus* Marchio in venatione occiditur. Imperator secundo in Italiam profectus, *Apuliam* restituit sedi Apostolicæ. *Bruno* Colonienfis obit: sepelitur apud *Barum* Apuliæ. De istis plenius feci scribi antea ex gestis *Lotarij* Cæsaris, ubi habetur *Chronica* Sclavica. Anno Domini *1137*. *Maguntinus* Episcopus *Adelbertus* obiit, & *Adelbertus* alter successit patruelis ejus. Imperator de Italia revertitur, sed in via obit: cujus corpus à *Rickinza* in *Lutter* sepelitur. *Sigisfridus* Comes de *Wallebecke* sagitta percussus interiit in expeditione *Lotharij* superius.

*Conradus* frater *FridERICI* Ducis Suevorum in regem eligitur post *Lotharium* *mcxxxix*. Fuit nepos *Hinrici* quarti ex sorore, vir bonus. Passagium fecit *1147* cum cruce signatis contra Saracenos circiter *lx*. millia, Imperavit annis quindecim; amicus *S. Bernhadi*. Anno Domini *1139* obiit *Hinricus* Dux Bavarorum & Saxonum, qui *Catulus* dicitur, reliquit filium, *Hinricum* scilicet Leonem. Discordia inde oritur pro ducatu Saxoniae, quem Cæsar dedit *Adelberto* Marchioni. Saxones defendebant puero ducatum. Anno *1140*. Obierunt *Otto* Bambergensis Episcopus, *Godfridus* Dux Lothvaniae, *Ludovicus* Comes provincialis, *Othricus* Dux Bohemorum & *Vilhelmus* Comes Palatinus. Cæsar habet curiam *Vormatia*; ibi *Ludovicus* adhuc puer Provincialis efficitur. Castra destruuntur *Anahalt* / *Groningen* / *Gebel*,

**Witteſto.** Imperatrix *Rickinza* obiit, & *Albertus* Episcopus Maguntinus. Cui successit *Marcolfus* Aſcanienſis Præpoſitus, qui cito moriens *Hinricum* habuit ſucceſſorem. *Conradus* Episcopus Magdeburgenſis obiit: *Fridericus* ſucceſſit, *Gerdrudis* Ducifſa obiit, 1142. Anno 1148 *Vdo* Czizenſis Episcopus ab Ierofolymis rediens naufragio periit; pro quo *VVichmannus* *Conradi* Marchionis ſororis filius ſequitur. *Pomeranorum* princeps *Rodibernus* fidem ſuſcipit.

Anno MCXLIX. Imperator revertitur à Ierusalem. *Bucro* *VVormaticenſis* Episcopus obit. Anno ſequenti 1150. Dominus *VVyndolfus* Abbas *Pigaugienſis*, peractis in regimine annis quinquaginta & amplius, multo ſenio & laboribus attritus, ſponte ſe abbatia abdicavit, habito conſilio *Reynhardi* Episcopi *Mersburgenſis* & *Adelberti*, Abbatis de *Porta*, & *Gerungi* Abbatis de *Loſovv*, & aliorum, Inde deſtinatur in cellam *Stolen*, cum iis qui ei ſubmiſtarent. Obijt LVI.

*Hinricus* ejuſdem Eccleſiæ nobilis juvenis ſucceſſit *VVyndolfo*; qui in principio multis adverſitatibus preſſus, anno ſcilicet Domini 1150. Poſtea debile principium melior fortuna ſecuta eſt. Hic contemtor honoris, quamvis ab omnibus amaretur, & rebus afflueret omnibus, tertio tamen conabatur deſerere Abbatis officium, filiosque ſuos fratres, licet reclamantes & flentes, precibusque ipſum retinentes relinquere. Sed tandem detineri non potuit: ſed anno ordinationis ſuæ XVI. Domini autem 1168, cum magno ſuorum dolore ſanus & juvenis, nullo conſulente, ſpiritus tamen impetu magis quam carnis ductus, Abbatiam reſignavit. Obijt LXX.

Anno MCLI. obierunt *Arnoldus* *Colonienſis* Archiepiſcopus. *Arnoldus* *Cancellarius* ſucceſſit. Obijt *VVernherus* *Monasterienſis*. *Fridericus* ſubſtituitur. *Ludovicus* de *VViſſera* obiit. 1152 *Lamberus* obiit. *Hermannus* de *VVincenborch*

borch cum *Luchardi* conjugē infidiis suorū in domo propria occiditur III. Kal. Febr. *Conradus* Imperator obiit, & *Fridericus* filius fratris ejus eligitur: & *Fridericus* Magdeburgensis Episcopus obit, *VVichmannus* succedit.

Anno MCLIII. *Fridericus* Rex in Saxoniam venit. *Hinricus* Maguntinus Episcopus deponitur à legatis Papæ, cui successit *Arnoldus*. *Hinrico* Mindensi deposito successit *VVernharus*. *Bernhardus* Hildesheimensis Episcopus relaxatur & moritur: *Bruno* succedit. Papa *Eugenius* obit; *Anastasius* succedit. *Anastasius* obiit 1154, *Adrianus* successit; à quo *Fridericus* imperiali benedictione suscepta à Romanis evasit. *Sueno* Danorum rex fugatur: cujus regnum occupant nepotes ejus *Knutus* & *VVoltmarus*.

Anno MCLVII obit *Arnoldus* Coloniensis. *Fridericus* sequitur. Dux *Hinricus* Frisiam hostiliter ingreditur. Ducatum Bojoariæ à *Friderico* Ratisponæ posito obtinuit. *Hinricus* antecessor marchionatum in *Ostereich* obtinuit. *Conradus* Marchio obit, conversus in Monte sereno, cujus fundator ipse fuit S. Petri. *VVyndolfus* Abbas Pigaugiensis obiit. Dux *Hinricus* *Suenonem* in regnum Daciæ reduxit. Anno 1157 *Knutus* Rex à *Suenone* interimitur, & *Fridericus* Cæsar Poloniam hostiliter ingreditur. *VVoldemarus* congressus *Suenonem* interficit. Anno 58. *VVilliboldus* Corbejæ Abbas obit in Græcia. *Reinoldus* obiit Coloniensis Archiepiscopus mortuo *Friderico*. Anno 59. *Adrianus* Papa obit. *Henricus* Dux *Leo* instituit in Slavorum regione Episcopatus *Luybeg*, *Suvrin*, *Razesburch*, *Rudenberch*. Monasterium Pigaugienſe crematur.

Anno MCLX. *Arnoldus* Maguntinus à suis civibus occiditur. *Hinricus* *Leo* vastat terram Slavorum. Deposuit *Olricum* Episcopum Halberstadenſem auxilio Cardinalis ex parte *Victoris* Papæ: cujus electioni Episcopi consentire nunquam voluit. *Gero* substituitur Anti-episcopus Halberstadenſis.

gensis. Anno 61. *Brunoni* Hildeshemensis successit *Hermannus*. Anno 62. guerra inter *Henricum* Leonem oritur & principes Saxonie, in periculum Saxonie annis xv. *Radeboro* abbas Pigaugiensis *Hinrico* absoluto substituitur anno Domini 1169. *Valdemarus* Rex Danorum Rugianos ad Christi fidem coegit: sed Doctorum defectu relapsi sunt. *Hinricus* filius Imperatoris quinquennis in regem eligitur in *Babenberg*, *Christiano* Moguntino proloquente, 1177 *Adelbertus* Marchio obiit. Dux *Hinricus* mare transit.

ANNO 1177. rex Bohemie per *Fridericum* deponitur *Zibislao* datur. Obit *Ludovicus* Episcopus Monasteriensis: *Hermannus* de *Vincinburg* successit. Obit Brandeburgensis Episcopus *Villmarus*; succedit *Sifridus* filius Marchionis *Adelberti*. Anno 1177. reconciliantur Papa *Alexander* & Imperator. *Christianus* Moguntinus ob petitionem Imperatoris confirmatur a Papa, ceteris dejectis: *Conradum* inde ejectum constituit in Episcopum Saltzburgensem. *Otricum* etiam Halberstadensem Episcopum restituit, *Geronem* removit. Dux *Hinricus* Leo & *Otto* Marchio *Dimin* capiunt. Inter *Hinricum* & *Otricum* lis oritur.

ANNO 1178. *Alexander* Papa duce *Christiano* Moguntino Romae honorifice restituitur in quadagesima. Legatos Caesaris cum muneribus Papa remisit, & ipsi Imperatori xenia misit. *Philippus* Colonienfis Episcopus usque ad *Veseram* omnia vastat quae *Hinrici* Ducis sunt, nec Ecclesiis parcens. *Vichmannus* Magdeburgensis & *Everhardus* Mersburgensis obviam amice venientes eos cohibent. *Otricus* Halberstadenfis auxilio *Ottonis* Marchionis de *Misna* iuxta *Boschesheym* contra Ducem aciem instruxit: sed *Vichmannus* eos sedavit. Vrbs tamen combusta fuit; iterum reaedificari coepta. Comes interim Palatinus de *Sommerstenborg* cum militibus Ducis supervenit: contra illos Comes de *Anhalt* *Bernardus* irru-  
it,

it, &c. Signifer Ducis Palatinus fugiens alijs fugæ causam dedit. Ex militibus Ducis plus quam ecce. capti sunt: quidam in palade submersi.

Anno MCLXXIX. Imperator VVormatiæ filios suos hereditate propria & aliorum beneficiis ditavit. *Alexander* Papa Romæ concilium habuit generale cum tribus patriarchis, prælatisque usque mille, post pascha. Pace indicta singulos remisit. Imperator **Magdeborg** curiam tenet festo Baptistæ cum Imperatrice *Beatrice* & filio coronatis. Postea in **Niuenborg**. Sed Dux *Hinricus* nec hic nec ibi citatus comparuit. Tertiam in **Wyne** castello *Hinrico* indixit: cumque non venisset *Leo*, contra eum expeditio indicta est. *Olvicus* Episcopus Halberstadenensis reversus, & honorifice à clero & populo susceptus: *Geronis* ordinata cassavit. Castrum **Horneborch** ædificat. Sed Imperatore abeunte Dux *Leo* intrat *Halberstad*, cremans omnia. Ecclesias etiam SS. Stephani, Mariæ, Pauli & Johannis ignis voravit. Mille homines, tres Canonici presbyteri &c. qui in sacra loca fugerunt, occisi, spoliati vel capti sunt. Episcopus cum suo *Rumaro* captus abducitur. Væ unum abiit: duo sequuntur. *VVichmannus* Episcopus castrum Ducis **Saldensleve** obsedit: ad cuius auxilium non tantum nostri principes, sed Episcopus Coloniensis cum duobus Ducibus & octo Comitibus, IIII. milia armati, ad destructionem illius castri convenerunt. Sed heu! ad ultimam desolationem totius Saxonie Cœnobium **Saldensleve** vastatur. Orta inde discordia in exercitu discesserunt vastantes in via obvientia. Dux illis digressis supervenit, circa *Bodam* fluvium, omnia comburens & vastans, *Calve* curiam Episcopi exussit.

Anno MCLXXX. Imperator *Vlma* nativitatem Domini peregit: *Olvicus* & sui capti relaxantur. Conditio tamen,  
quam

fecit Episcopus captus cum Duce à Papa cassatur & Cæsare. Iterum *Hinricus* curiam in **Wirzenburch** tenet: *Hinricus* non venit. Reus ergo majestatis adjudicatur, omnisque hæreditas, quam ab Imperatore vel Episcopis tenuit Dux, eidem abjudicatur. Imperator inde **Ingelenheim** curiam tenet in quadragesima, præsentibus Legatis Papæ duobus Cardinalibus. Ibi *Sisfridus* transfertur ab episcopatu Brandenburgensi ad Bremensem. *Bernharde* Comiti, fratri Episcopi ducatus Saxonie ex omnium sententia adjudicatur circa orientalem plagam fluminis *Wesera*. Ducatum vero ad occidentalem plagam in *Wessalia* Episcopus Colonienfis obtinuit. *Lodovicus* Comes provincialis efficitur loco *Adelberti* de **Sommeristborch**, qui sine hærede obiit. Expeditio contra Ducem *Hinricum* indicitur. Post Pascha Dux *Goslariae* folles &c. ejusdem civitatis in Cæsaris injuriam evertit, civibus annonam inferri prohibuit. **Northusen** concremavit: ibi etiam monasterium Sanctimonialium exustum est. Cui occurrunt *Lutovicus* & *Bernhardus*; sed capti sunt *Lutovicus* & *Hermannus*; *Bernhardus* fugatus. Dux fugientes Thuringos usque in **Molhusen** persecutus est, omnia devastans. Imperator tenet curiam *Ratispona*, festo Baptistæ. Ibi *Hinricus* Leo privatur Ducatu Bavarie. Castrum Ducis **Lichtenberg** capitur. *Otricus* Halberstadenfis Episcopus obiit: *Tidericus* successit. Imperator apud **Werle** omnes fautores Ducis ab eo discedere mandat, & nisi ad gratiam Imperatoris ante Martini redeant, ipsi & filii eorum jure hæreditario abjudicarentur. **Saizborg** & **Biscosichen** construxit Imperator ad oppressionem Ducis: venient que **Udenburg** adjudicavit ducatum Bavarie *Ottoni* ante Palatino de **Wicilingesbach**. Vrbes Ducis traduntur & Cæsari, **Heimenburg** **Lawenburg** **Regenstein** &c. Dux obsedit **Sigheberch** urbem *Adolfi* Comitis, doloque cepit con-

tra



tra juramentum. Imperatori traduntur Goslariæ posito, **Hartenberg / Scopenberg Sciltberg** / urbes Ducis e-  
 gregiæ: multique nobiles prius Ducis fautores, tradiderunt  
 se Imperatori; scilicet Comites de **Waltenrath** / de **Scarf-  
 feld**, de **Hilsfeld**; & in gratiam suscipiuntur. **Razamarus**, Prin-  
 ceptus Sclavorum subito interiit.

Anno Domini MCLXXXI. obiit **Radeboro** Pigaugiensis  
 Abbas: cui successit **Ekelinus Mirabilis** prior ibidem. **Vvic-  
 mannus** Magdeburgensis iterum obsedit **Haldesleve** ca-  
 strum Ducis mirabili arte opprimens: & tandè cepit & Mag-  
 deburgensibus traditum destruxit. **Thidericus** Episcopus Hal-  
 berstadiensis obsedit **Blankenborch** in quadragesima: quæ  
 sola manserat. Duci fidem servans **Leoni**, Colonienfis **Philip-  
 pus** destinatur ab Imperatore juxta **Brunswyff** ne qua fieret  
 excursio à militibus Ducis. Imperator **Bartwic**, perrexit.  
**Hinricus** Dux in **Ertneborg** cognito adventu Cæsaris, de-  
 stitutus à suis, incendit castrum, & navigio evasit. Omnes  
 urbes ejus Imperatori panduntur. Ducissa quæ in **Lüne-  
 borg** remanserat, & eandem urbem dotem suam esse asseruit,  
 eam sibi annuente Imperatore libenter conservat. Impera-  
 tor movit exercitum in **Lübeck** / occurrente illi in pace rege  
 Danorum & Ducibus Slavorum: Omniaque obtinuit cele-  
 riter quæ in illis partibus Ducis fuerant, & victor rediit.

Anno Domini MCLXXXII. Omnes principes regni Teu-  
 tonici pacem se servaturos jurabant. **Hinricus** Dux de **Brunswyff**,  
 qui **Leo** vocabatur, sicut juraverat egressus Saxonia  
 ad locerum suum regem Angliæ divertit. Hic, dum abesset  
 Cæsar, intravit Thuringiam, cremavitque **Molhusen** &  
**Northusen**. Langravius Thuringiæ **Ludovicus**, & frater ejus  
**Hermannus**, cum cæteris, quos Imperator Goslariæ relique-  
 rat, bello inuito contra Ducem, victi sunt & capti. Audiens  
 hoc **Fridericus** Imperator, grandi exercitu terram Ducis fun-

ditus vastat, cremat. **Lübeck** oppugnat civitatem. Deinde Dux gratiam Imperatoris promeruit. Inde secuta est curia, qua major nunquam fuit, in Thuringia. De isto *Hinrico Leone*, Duce Brunsvicensi vide in *Chronica Slavica* & in *Teutonica*. Multa fecit bona; multa mala.

Anno Domini MCLXXXIII. obiit *Ekelinus* Abbas Pigaugiensis, *Rudolfus* successit. Anno 1184. obiit *Adelheidis* Abbatiſſa in *Gandershem* & *Que delingborg*: *Agnes* soror *Ottonis* Marchionis de *Misna*, de *Gerpſtad* sumpta eligitur in locum ejus. Imperator Moguntia Pentecosten celebravit cum regina & cunctis principibus. Duos ibi filios suos gladio accinxit. Ibi Dux *Hinricus* nullam gratiam impetravit.

Anno MCLXXXV. Abbas *Rudolfus* Pigaugiensis obiit: successit Dominus *Sifridus*. Anno 86. translatio S. Ottonis facta est, in qua Abbas *Sifridus* interfuit, & inde reliquias S. Ottonis attulit, eique Ecclesiam construxit. Discordia inter ipsum & Episcopum Mersburgensem orta est, qui ecclesiam sibi subjectam affirmabat. Abbas ad Apostolicam sedem appellabat. &c. Anno 87. obiit *Vdo* Nüenburgerensis Episcopus; *Bertoldus* succedit. Imperatrix obit. Schisma oritur inter Papam & Cæsarem. *Jerusalem* capitur à Saracenis, & Christianorum ultra quinquaginta millia pugnatorum occisa. *Jerusalem* autem superna à suis hic civibus occisis pie credentibus possessa est.

Anno Domini MCLXXXVII. Consecratum est monasterium (*Puto Pigauu*) à *Hugone* Cardinali Hostiensi. Interim Episcopo & Abbate litigantibus, Abbas ad curiam accedens, quædam privilegia *Paschalis* mutari per *Cælestinum* nunc Papam obtinuit; & ecclesiam S. Laurentii, in qua jus Episcopus exercuit, Papa exemit ab omni jure Episcopi. Sit autem Abbatis & monasterii, nec contra eorum voluntatem Episcopus juris quippiam excerceat. Ecclesia etiam S. Ottonis

cæmta

exempta fuit ab omni jurisdictione episcopali. *Urbanus* obit  
*Gregorius* obit 88. *Clemens* mandat ulcisci Ierusalem.

Anno MCLXXXIX. Imperatore *Nuremberch* existente, nisi ad eum legati à rege Græcorum, à Soldano, & rege Arabum. Sed dolus patuit subinde. *Otto* Misnensis Marchio à filio suo *Adelberto* capitur. Hic erat filius *Conradi* Marchionis de *Vvittin* & post de *Misna* & *Luzane*: fundatoris *Montisfereni*, monasterii S. Petri. Postea relaxatus: cum compositio pacis sibi non placeret, bellum filio indixit. Hinc rapinæ & incendia. Oppida *Henberg* / *Libitz* & alia læsa. Interim Dux Bohemiæ *Otto* nomine, qui de *Mererin* transpositus fuerat, *Misnam* venit, depopulatur regionem; thesaurum Marchionis ultra xxx. millia marcarum tulit, & rogatus accessit. *Henricus* rex curiam habet in *Wirzenborg*. Ibi *Otto* & filius eius reconciliati sunt post damna plurima. Idem *Henricus* filius Cæsaris curiam in *Mersburg* habuit. Ibi expeditio indicitur contra *Hinricum* Ducem Leonem, & contra *Brunswit*, pro querimonia *Bernhardi* Ducis. Convenerunt in Saxonia prope *Hornebog* / omnia circa *Brunswit* devastabant iterum conventuri.

Anno Domini MCLXXX. Imperator *Fridericus* in Græcia fuit, *Henricus* filius ejus à *Cælestino* coronatur. Tertio anno regnum *Sicilia* cepit; *Neapolin* obsedit, &c. Regnum *Apulia* sibi subjugat *Hinricus* anno 94. *Albertus* Misnensis obit. *Cælestinus* Papa obit, 96. *Innocentius* tertius succedit. Anno 1198. *Tidericus* Marchio Misnensis, avus *Diderici* ultimi, reversus de *Ierusalem*, recuperat hæreditatem paternam adjutorio socii, & possedit ipsam annis xvii. Dissensio orta inter Electores: una pars elegit *Ottonem* filium *Henrici Leonis*: alia pars *Philippum*. Per ix. annos fit de regno contentio. *Philippo*, quia Dux, *Sævia* favebat. Sed Papæ displicuit,

quia *Hinricus* frater contra Ecclesiam fuerat. *Ottoni* favebat  
*Innocentius*, & ipsum coronarificiit *Aquisgrani* in regem Al-  
 mania, etiam *Philippo* renitente; quem etiam excommuni-  
 cavit Papa. Anno Domini 1209 *Otto* fuit coronatus Romæ à  
 Papa in basilica Petri. Sed quia intrarat *Apuliam*, auferens  
 regnum *Siciliae* *Friderico*, Papa excommunicat *Ottonem*.  
 Anno Domini MCCXII. *Fridericus* eligitur contra *Ottonem* Cæ-  
 sar. Qui Romam veniens ab *Innocentio* & populo hono-  
 rifice est susceptus. Dein in Almaniam veniens  
 contra *Ottonem* triumphat.

\*\*



EVNDA-